

Nomina. tum detrahendum, extenuandum, detergendum, valenterq; siccandum, & colliquandum. Qui lapis Græcis λίθος πυρί-
τος, Latinis lapis Pyrites nominatur: Arabibus, Hager al: five Alrusenai: Italis & Officinis, Marchesita: Germanis, Riß/
und Erstnuoff.

λίθος αιματηρός.

LAPIS HÆMATITES.

CAP. CI.

Hæmatites optimus habetur friabilis, saturato colore niger, durus, & suapte ingenio æqualis, nulla
forde admista, nulloque zonarum discursu. Vim habet adstringentem, excalfactoriam aliquan-
tum, extenuantemq; Oculorum cicatrices, & scabritiam cum melle purgat: cum lacte autem mulie-
bri, lippitudini, fractis, & oculis cruore suffusis convenit. Bibitur contra difficultatem urinæ, & fluxio-
nes mulierum in vino: & ab iis, qui sanguinem rejecerunt, cum succo punici mali. Fiunt ex eo coticulæ,
& collyria oculorum vitiis apta. Uritur ut Phrygius, sine vino duntaxat. Modus unctionis est, ut modicè
levis fiat, & bullis quibusdam intumescat. Sunt qui hæmatiten ita adulterant. Densam glebam, rotun-
damq; schisti lapidis, cujusmodi sunt, quæ ejus radices vocantur, in urceum figlini operis, qui ferven-
tem cinerem contineat, condunt: paucaq; interjecta mora eximunt, experiunturq; si trita ad cotem hæ-
matitæ colorem reddat: quod si ita res se habet, reponunt: sin minus, iterum obruunt, & subinde con-
spicientes, periculum faciunt: siquidem in cinere diu dimissus, colore mutato diffunditur. Coarguitur
malè confectus, primùm scissilibus venis: quippe in rectos venarum discursus refringitur. At hæmati-
tes longè secus se in colore habet: namq; hic floridum reddit, hæmatites verò saturatiorem, atque cin-
nabarim imitantem. Invenitur in Sinopica rubrica. Fit & è magnete lapide, vehementer ambusto. In
Ægypto sponte naturæ cum metallis enascitur.

Hæmati-
tes lapi-
dis conf.

Hæmatites lapis, quo omnes in universum medica officina abundant, quoq; pictores, & lignarii fabri utuntur, vulgò
vocatur Lapis, legitimus non est, de quo meminerunt Dioscorides, & Galenus. Quippe hic alius est lapis mollis per se
proveniens in montibus, apertis locis. At legitimus fossilus est, & sponte natura nascens in metallorum cuniculis: qui fractus,
sanguinem colore imitatur, unde & nomen, cum Græcis sanguis αἷμα dicatur. Huic persimilis est, quem Schistum vocant,
cujus historiam, & vires statim post hunc scribit Dioscorides ob cognationis vinculum. Foditur hæmatites non modò in
Ægypto, sed in pluribus Germania, & Bohemia montibus, præsertim in Hercynia sylva: quin & in Italia Brixiniensi agro,
sed peregrinis bonitate cedens. Variat tamen huic lapidi color, quoniam & niger, & flavus, & ferruginus instat, quibus-
dam insit, ut peritissimus æquè ac doctissimus Agricola in suis de fossilium natura libris diligenter adnotavit. Hæmatitis fo-
dinas habet in valle Joachimica Regni Bohemia Illustris Comes Joachimus Schlichius, ad eò refert, ut inde optimum
ferrum conficiant: quo fit, ut nil aliud sit Hæmatites lapis, quàm ferri materia. Qui ferrum auro ornant, & contegunt,
id sine hæmatite facere nequeunt. Namq; ea aureas bracteas ferro prius circumdatas firmant & poliunt, perinde ac picto-
res, lupino dente. Hæmatite vires memoria prodidit Gal. lib. 9. simpl. medicamentorum, ubi sic inquit. Porro talium quoq;
unus est hæmatites, quem vocant, à coloris similitudine id appellationis sortitus: sicut & galactites, quando & ipse in suc-
cum solutus lactis similis conspicitur. Habet lapis hæmatites tantum frigiditatis, quantum habet adstrictionis. Meritò itaq;
ausi sunt Medici ocularibus facultatibus lapidem miscere hæmatitem. Ac solo eo uti possis palpebris exasperatis: siquidem
cum phlegmone aspera sint redditæ, ex ovo ipsum diluens: ac si magis etiam, per sœni graci decoctum. Sin verò citra phleg-
monem, ex aqua. Incipito verò semper à modicè humidis, per specillum insundens. Ubi autem, quod vires ejus ferat, conspe-
xeris, magis ac magis crassum efficies, ac tandem ad eò crassum facies, ut specilli nucleo inungas, secundum subjectionem,
aut everfionem palpebræ. Hic idem lapis similiter in cote contritus, sanguinis exspuitioni convenit, omnibq; ulceribus.
Porro siccus, si ad tantum redactus fuerit levorem, ut pulvillum referat, reprimit excrescentia, atq; eo nullus solo ac per
se utitur. Ego verò ad ea quæ dixi, usus sum facultate ejus, ex gustu qualitate comperta, cum mox experientia periculi-
tari vellem numquid rectè conjecissem. Et ipsa quidem oculorum ulcera, solus per se cicatrice includit (ut paulò antè com-
prehensum est) attritus, cæterum aut affusus, aut inunctus: nam & id experientia exploratum habeo: hæcenus Gale-
nus. Miris item laudibus extulit hæmatiten lapidem Alexander Trallianus, sic inquit. Ego sanè novi frequenter me sine
theriaca, aliq; pretiosis antidotis multos curasse, lenibus usum medicamentis, & præsertim lapide hæmatite. Usus au-
tem eo sum in his, qui largius sanguinem rejiciebant, cum succo punici mali, & granis, vel cum succo polygonii: in quibus
autem sanguis non copiosè evacuabatur, etiam ex aqua sola egelida. At levigare ipsum curiosè oportet, ut in tenuissimum
pulverem redigatur, sitq; æreus, & ventosus similis. Dedi ego ex eo scrupula quatuor, & paulò amplius minusve. Ex-
hibui etiam iis, qui pus expuere inceperant, ac mirum est, quomodo ulcus exiccarit sanaveritq; ut non amplius pus gene-
raretur, neq; ager tussi infestaretur. Spectavi autem & alium quendam ex his, quibus vas exesum erat, non modò parti-
culas quasdam ex faucibus, sed etiam asperam arteriam expuentem, ac mirum quomodo in hoc quoq; lapis hic maximam
efficaciam indicaverit. Nam & hic curatus est nobis non admodum etiam sperantibus. Exhibui autem agro potui medica-
mentum frequentius, ut commodius distribueretur. Quare cum crebrò ipsum bibisset, tandem sumere ipsum fastidivit. Ex-
cogitavi autem hujusmodi rationem, redactum in tenuissimum pulverem panniculo lineo imposui, & diligenter ipsum
undiquaq; constrictum, colligatumq; in poculo, quod vinum odoratum modicum haberet, suspendere permisi, idq; per to-
tam noctem jam inde ab ipso vespere: extraxi autem tenuem, æreamq; ejus partem, ut ager solam vini qualitatem per-
ciperet. Ex hoc bibere quantum mane libenter habebat, ei præcepi, atq; hoc sanè agendo, bibendoq; continuè, sanitatem
recepit. Hoc autem morbo liberatus, idem præservationis causa facere pergebat, bibebatq; donec etiam corpore probè per-
mutato, consuetæ agendo viribus se constare sentiret. Hac de lapide hæmatite à me visa, & usu comprobata conscripsi. Ha-
cenus Alexander lib. 7. cap. 1. Hic lapis Græcè λίθος αιματηρός vocatur: Latine, Lapis hæmatites: Arabicè, Scedenigi, Sa-
denegi, seu Alsadanegi: Italicè, Pietra hæmatite: Germanicè, Blutstein.

Hæmati-
tes vires
ex Al-
andro.

Nomina.

λίθος σχιστός.

LAPIS SCHISTUS.

CAP. CII.

Schistos lapis in Iberia Hispaniæ gignitur. Probatum maximè, qui croci colorem æmulatur, friabilis,
suapte natura fissilis, concremento, & alterno cohærentium venarum discursu, peccatum modo, Am-
moniaci salisimilis. Vim exhibet hæmatitæ, sed ad omnia infirmiorum: quin & cava replet muliebri
lacte

laete perfusus: ad procidentia, rupta, item genarum crassitiem, & uvas oculorum, magnopere efficax est.

Schiston Lapidem, quem tradidit Dioscorides gigni in Iberia (ut Agricola vir clarissimus est auctor) non solum in pluribus Hercynia sylva locis foditur, sed etiam in Bohemia, ubi & nos quoque eum advenimus. Ceterum cum de viribus cum hematite certet, hic ejus vires nobis supplere poterit. Meminit Schisti lapidis Galenus libro nono simplicium medicamentorum, sic de ejus viribus differens. Lapidem hematitae persimilem vim obtinet, verum infirmiores is qui vocatur schistus, ac post eum galactites. At meliores caliditatis etiam nonnulli, ut dicitur, adjunxit. Ut itaque unusquisque ipsorum leviter ac sensim ab hematite facultate recedit, ita ad oculos similiter in usum ducitur: est tamen mitior. Porro mitiora remedia partibus etiamnum phlegmone afflictis semper gratiora sunt, atque jucundiora: ceterum liberis jam phlegmone partibus infirmiora quam quae persanare valeant. *Alb. & Xyris* sita Græci, ut Latini Lapis schistus, & Italici Pietra scissile appellatur.

Schistila-
pidis
confid. &
vires.

Nomina.

Alb. & Xyris

LAPIS GAGATES.

CAP. CIII.

In gagatarum lapidum genere præferendus qui celeriter accenditur, & odorem bituminis reddit. Niger est plerumque, & squalidus, crustosus, perquam levis. Vis ei molliendi, & discutiendi: deprehendit fonticum morbum suffusus: recreatque vulvae strangulationes: fugat serpentes nidore: podagricis medicaminibus, & acopis additur. In Cilicia nasci solet, quæ influens amnis in mare effunditur, proxime oppidum, quod Plagiopolis dicitur: vocatur autem & locus, & amnis Gagas, in cujus faucibus ipsi lapides inveniuntur.

Lapidem, quem Gagaten vocant, in comitatu Tirolensi Germania non longè ab Aeniponte (Germani Iffruck dicunt) in quodam torrentis alveo reperiunt, ostendit mihi primum clarissimus medicus Joannes Petrus Merenda Brixianus, nullis prorsus notis à Gagata historia dissidentem. Nam præterquam quod igni admotus confestim accenditur, flammamque contrahit, ac bitumen redolet, squalidus est & niger, crustosus, & perquam levis. Hoc scater in universum Flandria, Cimbriaque, ubi lignorum penuria incolæ hoc tantum lapide ignem sibi comparant. Foditur hoc tempore etiam in Italia Brixiano agro, è cuius fodinâ nuper ingentem glebam misit ad me Tridento Sanctus Sanctinus diligens pharmacopola ad Corallum insignium. Fuchsius vir aliqui eruditissimus in magno errore putat (ut libro primo reitulumus, cum de pissasphaltro differeremus) Gagaten in Tirolensi comitatu reperiunt, esse pissasphaltum. Verum cur ego in hoc ab eo dissentiam, citato nuper loco latius ostendimus. Porro idem in libro de componendis medicamentis, quem nuper auctum edidit, Gagaten censet esse succinum illud nigrum, quod nobis vulgò Ambra nera vocatur. Sed in hoc similiter eum (pace ejus dixerim) hallucinari clarius esse opinor, quam ut pluribus demonstretur. Nam ut omittam absurdum mihi plane videri, quod succinum lapidis nomine dignetur, illud non est squalidum, neque crustosum, sed in superficie potius laeve, & lucidum satis apparet. Sunt qui existimant fossiles quosdam carbones, quos in pluribus locis effodi in Germania tradidit Georgius Agricola vir doctissimus, & in fossilibus medicamentis indagandis hodie facile princeps, esse lapidem Gagaten, quod carbonem non aliter quam è ligno parati igne accendantur. Verum tamen cum hi flammam non edant, nisi foliis excitentur, nec ullum bituminis odorem spirent, eorum opinio planè refellenda videtur. Siquidem Gagates adeo bitumine pragens est, ut accensus picis fere modo flagret, & nigerrimum emittat fumum. Quin & oleum copiosum reddit, ubi vitreis organis conclusus, ignem vi perurit. Hoc commendavit Mesues demoniacis, epilepticis, paralyticis, spasmodicis, tetanicis, arthriticis, ab utero suffocatis, & conceptum non admittentibus. Quod tamen à carbonibus in elici non potest, cum omni penitus humore destituantur. Gagata historiam, & vires tradidit Gal. li. 9. de simpl. medic. facultatibus, his verbis. Est & alius lapis colore atro, qui ubi igne admotus fuerit, persimilem bitumini odorem exhibet, quem Dioscorides nonnullique alii in Lycia inveniri prodiderunt, ad fluvium nomine Gagaten, unde & ipsi lapidi nomenclaturam inditum dicunt. Ego tamen eum fluvium non vidi, tamen si parva navicula totius Lycia litora legerim, quò videlicet, quæ in ea sunt, inspicierem. Crustaceos verò lapides nigros, & qui in ignem additi exilem flammam ederent, complures Cæle Syria affortari, natos in colle, mari mortuo, quod vocant circumdato, quæ orientem spectat, ubi & bitumen est: eratque lapidum odor similis bitumini. Utebarque, eis ad flatuosos tumores in genu diuturnos, & ægrè curabiles, misisti videlicet facultatibus, quæ ad hoc symptoma probate fuerant. Planèque visum est mihi evidentiorum earum facultatem reddidisse. Miscui verò ipsum & Barbaro quam vocant, & palam medicamentum effectum est exiccantius, adeo ut & sinus contraheret, necdum cruenta vulnera glutinaret, ad quæ competere maxime creditur: hæc tamen Gal. Ceterum Plinius lib. 36. c. 19. existimasse deprehenditur, quod quemadmodum in medicamentis sibi viribus mutus respondent Thracius lapis, & Gagates ita uterque, in qua demersus accendatur, & conflagret, restinguatur verò in oleo. Quod tamen falsum est: quandoquidem Dioscorides ubi memoria prodidisset Thracium lapidem in eadem viribus esse præditum, quibus & Gagates, subdidit Thracio illud peculiare adscribi, quod aqua demersus accendatur, & oleo restinguatur: quod tamen in Gagate non accidit. Vim Gagatæ admirandam esse Aetius testis est lib. 2. cap. 24. quippe si igne inflammetur, merore, restinguatur, exhibeatque id vinum cardiacis potandum, confestim levantur, represso sudore, excitatoque articularum pulsu. Nonnulli Gagaten ad pollinis tenuitatem terunt, septemque continuis diebus colici è vino propinant drachma unius pondere, & integram restitunt valetudinem: porulum interim, quod laborantes bibunt, ejusdem vapore suffientes. Sed quoniam Gagates ob quandam nominis similitudinem, lapidem ACHATEN ita veteribus appellatum, mihi in mentem redegit, cum à laudetur ad varia humani corporis incommoda, merito hic aliquid de eo nobis dicendum esse duximus. Repertus primum Achates est in Sicilia juxta Achatem fluvium, à quo nomen sibi vendicavit. Lapis hic variis constat coloribus, & se invicem incurvantibus zonis lineisque, adeo ut quandoque, variis assignant imaginum formas, naturæ tantum penicillo. Id quod maxime testatur Plinius lib. 37. capite primo, ubi sic habet. Post hunc annulum regio fama est gemma Pyrrhi illius, qui adversus Romanos bellum gessit. Namque habuisse traditur Achaten, in qua novem Musæ, & Apollo cit harum tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturæ, ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis sua redderentur insignia. Hinc igitur creditum est antiquos vocasse Achaten variis ac diversis nominibus. Vocatur enim phasachates, cerachates, dendrachates, leucachates, hamachates, corallachates, & id genus aliis: quod quidam columbos quidam cornua, alii arbores, alii sanguinem, nonnulli corallum coloribus præferant. Prodest Achates (ut Plinius est auctor) contra scorpionum ictus. Quod in Siculis utique crediderim, quoniam primum ejus provincie affla-

Fuch. era-
ror.

Carbo-
nes fossi-
les non
esse Ga-
gaten.

Gagatæ
histor. &
vires ex
Galeo.

Plinii
lapis.

Achate
lapis
historia.

Acharis
nomina.
Acharis
vires.

M m m m

tu scor

tu scorpionum pestis extinguitur. Et in India inventi contra eadem pollent, & alii magni miraculis. Spectasse etiam prodest oculis. Sitim quoque sedant in os additi, Leonina pelli similes, potentiam ceteris validiorem habere contra scorpiones dicuntur. In Persis vero suffitu, earum tempestates averti. & praterea flumina sisti. Argumentum esse, si in serventes cortinas additi, refrigerent. Sed ut profint, leoninis jubeis alligandos. Abominantur hyanae pelli similes, quod domibus discordiales sint. Sed qui unicotantum colore notatur, invictos athletas reddit: haec Plinius. Lapis, qui Graecis λίθος γαγάτης, Latinis Lapis Gagates vocatur: Italis, Pietra Gagate.

λίθος θρακίος.

LAPIS THRACIUS.

CAP. CIV.

† Or. λέει
i. terra.

Lapis Thracias dictus, nascitur in flumine quodam Scythiae, cui Ponto nomen est. Visei Gagatae. Traditur aqua accendi, & oleo restingui: quod in bitumine accidit.

Thracii
lapis
mentio
ex Gal.

Qui Thracium lapidem ostenderet in Italia, haecenus profecto neminem inveni: nec qui illum aliis in regionibus se vidisse, aut invenisse testetur, compertum habeo. Eius mentionem fecit Galenus una cum gagate lib. 9. de simplicium medicamentorum facultatibus, ubi ita scribit. Est & alius lapis, cuius meminit Nicander hunc in modum.

Si lapis uratur candenti Thracius igne, &
Post madefiat aqua, flagrabit totus: at idem
Mox oleo affuso, penitus restinguitur: adfert
Thracius hunc ad nos pastor de flumine, nomen
Cui Pontus.

Verum nullus ejus in medicina usus: neque, Nicander prater graveolentiam, qua suffitu feras fugat, quicquam ei adscripsit: haec Galenus. Ceterum nos Thracii lapidis historiam potius fabulosam, quam veram censemus. Eius nomen Graecum λίθος θρακίος: Latinum, Lapis Thracius: Italicum, Pietra Thracia.

λίθος μαγνήτις.

LAPIS MAGNES.

CAP. CV.

Magnes lapis optimus est, qui ferrum facile trahit, colore ad caeruleum vergente, densus, nec admodum gravis. Datur cum aqua mulsa trium obolorum pondere, ut crallos humores eliciat. Sunt qui magnetem crematum pro haematite vendant.

Magne-
tis lapidis
historia.

Magnes lapis Heraclius, & Sideritis quoque, dicitur. Magnes quidem ab inventore (ut Nicander auctor) nomine Magno, qui primus in Ida monte lapidem hunc adinventit: aut a Magnesia regione, ut Lucretius in poematibus scribit. Heraclius vero, vel ab Heraclea urbe, vel ab Hercule: ut enim Hercules immanes domuit belluas, viribusque subegit: ita Magnes ferrum victricem rerum materiam ad se trahens, subigit, & tenet. Quas ob vires Sideritis quoque, dicitur: quippe ferrum Graecis σιδερίτις appellatur. Nos autem vulgari idiomate appellamus Pietra Calamita. Foditur in Cantabria Hispania, & in variis Germania, ac Bohemia locis, et si saepe casu inveniat in ferri fodinis. Praestat, quia ex Macedonia, & Magnesia illi contermina convehitur: sed omnium praestantissimus est Indicus, & Aethiopicus. Differunt Magnetes colore, qui rentis & in iis aut niger est, aut caeruleus nigricans, aut in nigro rufus, aut contra. Optimus est mas, qui non modo celerrime trahit ferrum, sed etiam vim suam in id adeo transfundit, ut possit alterum inhaerens ferrum ad se trahere: quo fit, ut saepius acus acum trahat, adeo ut altera alteri subpendeat, nullis appositis adminiculis, ad duodenum usque numerum. Quod item ferreis fit anulis, qui alter alteri inhaerentes catena instar dependent, tametsi postremus non tam pertinaciter inhaereat, uti primus & secundus. Ratio autem cur Magneti tantum facultas insit trahendi ferrum, nulli sane, quod sciam, adhuc comperta est, nec ulla eam philosophorum investigatio unquam assequi potuit. Proinde necessarium fuerit dicere, illi vim hanc peculiarem tribuisse coelum, & rerum omnium parentem naturam, ut Rhabarbaro vim detrahendi bilem, & Torpedini marinae stupidam reddendi manum, qua ipsam viventem tetigerit. Nec sane aliud quicquam inveniri putaverim, quod viribus Magnetem magis annuletur, quam Torpedo piscis. Quandoquidem ut magnetis admiranda facultas ex una pendente acu in aliam transit acum, & ex annulo, in annulum, idem similiter efficit Torpedinis virtus. Quippe bamo capta, obstupefaciens ejus facultas adeo confestim per setas virgamque, excurret, ut statim piscatoris manum miro sane stupore corripiat. Idemque, efficit retibus comprehensa, vi per funem aura instar excurrente. Ceterum Dinocrates Alexandrinus (Plinius auctor est l. 3. c. 14.) Arsinoes de Magnete lapide templum concamerare inchoaverat, ut in eo simulachrum ejus e ferro pendere in aere videretur. Cujus forsitan rationem secuti Arabes, Turcarumque, sacerdotes (sit athena vera referunt, qui talia scribunt) Mahumeti sacellum e praestantissimo Magnete concamerari jusserunt, ut imposita in eo Mahumetis arca e purissimo ferro constata, tanquam divino quodam miraculo in aere penderet, ita deceptis populus. Trahit itaque, Magnes propria vi ferrum, excepto eo, quod rubiginem contraxerit, vel ubi lapis alio fuerit confectus, aut ubi adamas prope adferatur. Magneti vim sane contrariam habet Theamedes lapis in Aethiopia montibus nascens, non procul a monte magnetis: quippe quod appositum sibi ferrum confestim abigat respuatque. Quo fit, ut qui calceis ferreis per magnetis montem pergunt, pedes submovere nequeant: per alium vero ambulantes, nunquam pedibus consistant, & veluti tripudiantes fiant. Atqui ne fortassis quispiam censeret id esse fabulosum, ego quidem fateri possum, me Magnetis frustum habere, quod altera parte ferrum trahit, altera respuat. Magnes flavo cum are fusus, illud argenteo nitore colorat, quemadmodum cadmia aureo, ut superius diximus. Magnetis breviter meminit Gal. l. 9. simp. med. sic inquit: Ex lapidibus unus est & magnetes, & heraclea, quam vocant, ad similem haematite vim obtinens. Lapis, qui Graecis λίθος μαγνήτις & ἡρακλέας, Latinis Lapis Magnes, Magnetes, & Heracleus appellatur: Arabibus, Hager almagritus, seu Magnathus: Italis, Pietra magnete & Calamita.

Theamedes
lapis.Magne-
tis vires
ex Gal.
Nomina.

λίθος ἀραβικός.

LAPIS ARABICUS.

CAP. CVI.

Arabicus lapis maculoso ebori similis. Is tritus illitus haemorrhoidas exiccat. Eius cinis dentifricio optimus.

Nillum haecenus vidi, nec reperi lapidem, qui eburneam mihi ostenderit faciem: quapropter non crediderim Arabicum lapidem hoc tempore convehi in Italiam. Eius tamen nomen Graecum est λίθος ἀραβικός, Latinum, lapis Arabicus: Italicum, Pietra Arabica.

λίθος γαγάτης.

Λιθὸ γαλακτίτης.

LAPIS GALACTITES.

CAP. CVII.

Galactites appellatur, quod lacteum succum refudet: cinerei tamen est coloris, & gustu dulcis. Ad oculorum fluxiones, & ulcera convenienter illinitur. Oportet autem in aqua tritum, pyxide plumbea recondere, propter vim glutini, quod ei obhæret.

Λιθὸ μελιτίτης.

LAPIS MELITITES.

CAP. CVIII.

Melitites omnia galactitæ similis, hoc tantum interest, quod dulciorem succum remittit. Eiusdem ut galactites effectus.

Galactiten, item Melititen, etsi antea me non vidisse scripseram, dum tamen in Bohemia sum, utrunq; ex Misnia ab amicis accepi. Alter tamen (ut Galenus inquit lib. 9. simplicium medicamentorum) Galactites vocatur, quod in succum solutus lactis speciem reddat: quem admodum alter melitites, quod succi dulcedine mel gustu representet. Galactita memini Plinius 1. 37. c. 10. sic inquit: Galactites ex uno colore lactis est. Eandem dicunt leucam, & leucographiam appellant, & synnephitem: tritam lactis succo, & sapore notabilem. In educatione nutricibus lactis sœ. unam autem: infantium quoq; adalligata collo, salivam facere dicitur: in ore autem liquefcere. Eandem memoriam adinere dicunt. Mitit eam & A. helous amnis: hac Plinius. Caterum, ut testatur Agricola, non solum reperitur Galactites in quibusdam Saxonie montibus, in Germania, sed etiam in quorundam fluminum alveis, pariterq; Melitites. Lapis ille Græcè λιθὸ γαλακτίτης, Latine Lapis Galactites: Italicè, Pietra Galactite vocatur. Hic verò Græcis λιθὸ μελιτίτης, Latinis Lapis melitites, Italis Pietra Melitite nominatur.

Λιθὸ μοροχθῆος.

LAPIS MOROCHTHUS.

CAP. CIX.

Morochthus lapis, quem aliqui galaxiam, aut leucographida vocaverunt, in Ægypto nascitur: quo, utpote molli, & facile liquefcente, linteones dealbandis vestibus utuntur. Spiracula corporis obstruere videtur: conveniens iis, qui sanguinem expuunt, coeliacis, & vesicæ doloribus, cum aqua potus: iidem fluxionibus vulvæ, & impostus velleri. Mollihus oculorum collyriis miscetur: explet enim cavas, atque delachrymationes sistit. Idem cerato exceptus, ulcera, quæ sunt in teneris partibus corporis, ad cicatricem perducit.

Morochthum lapidem nonnulli galaxiam vocant. nascitur (ut inquit Georgius Agricola, acerrimus fossilium indagator) in Saxonia Germania. Huius frustum non parvum ex Misnia misit ad me Georgius Fabritius, vir quidem doctrina, & virtute clarus, nullis deficientibus notis ac viribus. Veruntamen cum nec inde, nec ex Ægypto, quod sciam, in Italiam deferatur, cur plura de eo dicam, non habeo. Porro facit Morochthi lapidis adstringens facultas, qua cruentas rejections sistit, & corporis spiracula obstruit, ut alterius quoq; lapidis hic mentionem faciam, admirabilis sanè facultatis ad ossium fracturas. Siquidem, tametsi perfracta ossa a Chirurgis non ante quadragesimum diem sanari soleant, compertum tamen est à compluribus in Germania, ea procul dubio sanari triduo, aut quatruiduo huiusce lapidis potu, sesquidrachma pondere, ex rubro meraco cum mane, tum vespere hausso. Sed interim os fractum restaurare, equare, ac afferculis circumquaq; munire operæpretium est, & affectum locum illinire unguento ex Geranii radicibus caruleum florem gerentis, & lactentis suis axungia, siccatis prius radicibus, & in pulverem tritis, & deinde ex axungia præscripta in mortarium exceptis. Extenditur enim super linteolo cera odorata imbuta, & fracto loco adalligatur. Est itaq; lapis is longus perinde ac humanus digitus, teres, crassitudine ferè annularis, & sape tenuiore, albicans friabilis, tophacea intus substantia. Hunc primo ad me misit excellens ac doctus Medicus Georgius Vvitt, qui olim in Aula Cesaris Caroli Quinti honorificè medicinam fecit. Nascitur in eo Rhemi tractu, quem Germani die Bergstrass vocant circa Darmstat oppidum, duobus à Rheno miliaribus, & reperitur in arena. Tale est enim illius loci solum. Sunt qui hos lapides, è planta cujusdam bechio similis radicibus ibi nascentis gigni existiment. Sed an hoc verum sit mihi certo non constat. Germani hunc lapidem ab effectu appellant Bœmbruch. Morochthi meminit Galenus unà cum scissili lapide li. 9. de simpl. medic. facultatibus, sic inquit: Sunt & alii lapides in succum solubiles, ut qui in Ægypto nascitur, quo utuntur ad splendorem linteis conciliandum. Est autem omnium dictorum minime qualitatibus particeps, nec adstrictionem, nec morsum, nec absterisionem præse ferens: quo circa hoc ipsum duntaxat lapidi huic inest, quod deficcet videlicet: proinde cerato eum miscentes ad cicatricem ulceribus inducendam in mollihus corporibus usurpant. Sed & ocularibus miscetur facultatibus, perinde ut modò dicti. At quantum est maiore emolliendi vi, quam prædicti quod nullam videlicet effectricem qualitatem habeat, tanto etiam moderatior est, magisq; dolorem levat. Hunc lapidem quidam moroxum, nonnulli leucographida nuncupant: hæc tamen Galenus. Sed certè nescio qua ratione, aut auctoritate ductus sibi persuaserit Plinius libro 27. c. 11. hunc non esse lapidem, sed herbam, ubi unà cum leuca de leucographide disseruit: nisi forte affuerit vocabulorum similitudine deceptus. Lapis Græcis λιθὸ μοροχθῆος, Latinis Lapis morochthus appellatur: Italis, Pietra Morochtho.

Λιθὸ ἀλαστρίτης.

LAPIS ALABASTRITES.

CAP. CX.

Alabastrites vocatus onyx, crematus, resina aut pice exceptus, duritias discutit, stomachi dolores cum cerato levat: gingivas comprimit.

Alabastrites notissimus lapis est is qui Romana inviserunt adificia. Hallucinantur tamen, qui credant lapidem illum Alabastren esse, quo hac tempestate toro varia finguntur vasa, quibusdam subuigricantibus venis discurrentibus, pellucido layore, materia verò adeo imbecilli, ut parum collisa facile frangantur. Quandoquidem lapis hic Alabastritæ species non est, sed potius gypsina materia. Alabastrites enim, quem antiqui ad vasa unguentaria cavabant, quò diutius unguenta arancore venduarent, nascitur (ut Plinius inquit lib. 36. c. 8.) circa Thebas Ægyptias, & Damascum Syria. Hic ceteris candidi-

M m m 2

candidi-

Alabastris

ex vires

ex Gal.

Nomina.

candidior. Probatissimus vero in Carmania, mox in India, jampridem & Syria, Asiaq. Viliissimus autem, & sine ullo nitore in Cappadocia. Probatior quam maxime mellei coloris in vertice maculosi: hac Plinius. Hujus facultates memoria prodidit Galenus lib. 9. simplicium medicamentorum, sic inquit: Et alabastrites vocatur unguis in medicina usum ingreditur combustus. Quidam eum bibendum dant stomachicu. Is Græcè λίθς ἀλαβαστρῆς, Latine, Lapis alabastrites dicitur: Italice, Alabaastro.

λίθς θυϊτης.

LAPIS THYITES.

CAP. CXI.

Lapis nomine Thyites, in Aethiopia gignitur, subviridi colore jaspidem imitatus: cum diluitur tamen lacteum succum reddit. Vehementer mordet: tenebras, quæ pupillis obversantur, expurgat. 10

Fuchsius

maie

Turcicus

Lapis Thy

ites cre-

ditur.

Thyiten lapidem neq. ipse hactenus inveni, neq. ab alio compertum scio. Qui fortasse ex Aethiopia tantum petendus est, ubi eum gigni prodidit Dioscorides. Veruntamen Fuchsius medicus singulari doctrina, libro illo de compositione medicamentorum, quem collocupletatum secundo edidit, lapidem Dioscoridi Thyiten dictum, nihil aliud esse censet, quam lapidem illum ceruleum, qui Italis vulgò Turchina, aliis vero Turcicus lapis appellatur, ut ejus verba, qua subiiciam, aperite declarant. Jaspis, inquit, Galeno duplex est. Una subviridis, qua Dioscoridi Thyites, ut alibi diffusè monstravimus, dicitur. Thyites autem non est nisi ea Jaspidis species, qua quoddam acri & caelo matutino autumali similis sit, hoc est, cerulea ladeq. suffusa æquilis. Græcis, Junioribus Turcica, Germanis Türkles nominatur. Quam certe appellationem verisimile est ex Thyitu depravata voce promanasse, originemq. suam duxisse. Altera viridis, qua sic dicta est quia vires. Ejus duodecim sunt genera, qua alibi à nobis sunt ordine explicata. Quintum autem genus est Turcica vocata Jaspis, de qua jam diximus. Hactenus de Thyite lapide Fuchsius sententia. Qua sane mihi nonnulli rationibus refellenda videtur. Primum namq. non invenio, quod Galeno Jaspis in duo genera digeratur, in viridem scilicet, & subviridem, ut illi Fuchsius adscribit. Sed ipsum viridis tantum meminisse constat, lib. 9. simplicium medicamentorum, ubi de ejus facultatibus disserit. Nec obstat, quod Galenus eodem libro in commemoratione Thyiti lapidis ex Dioscoride, hunc coloris esse scribat subviridis quodammodo ut Jaspis: siquidem Galenus eo in loco Dioscoridi verba refert, ut ex capitu illius titulo quisq. certior fieri potest: id enim ita inscriptum legi ut, τῆς ἀσπιδὸς θυϊτῆς. De Dioscoridi Thyite. Præterea equidem nescio, quo pacto lapis ille Turcicus possit esse Thyites, quoniam hic tum Dioscoridi, tum Galeno coloris est subviridis, non autem saturati cerulei, ut ille. Ad hac si lapis, qui ἀσπίς Græcis vocatur, & qui verè Turcicus est, Jaspidis generibus assignatur (quod ipse quoq. Fuchsius asserit) non video, quo modo fieri possit, ut idem sit Dioscoridi Thyites: qui a nemine. Quod sciam, inter jaspidum genera recensetur. Postremo mihi quidem non videtur verisimile, quod Turcicus lapis à Thyitu depravata voce nomen acceperit: quam enim, quæso, illa voces habent inter se similitudinem? certe nullam. Quare potius adducor, ut credam eam appellationem fluxisse ab Italice nostra lingua: nam quemadmodum in Italia ceruleus color, quem propriè cæli colorem esse volunt, vulgò turchino vocatur: ita etiam inibi lapis is, de quo sermo est à colore, quem ceruleum habet, Turchina nominatur. Ex qua nomenclatura postea facile factum esse arbitror, ut eundem lapidem juniores Turcicum appellaverint: atq. adeo simili imitatione fortasse ducti Germani ipsum Türkles dixerunt. Lapis qui Græcis λίθς θυϊτης, Latinis item Lapis Thyites appellatur. 30

λίθς ἰουδαϊκός.

LAPIS JUDAICUS.

CAP. CXII.

Judaicus lapis in Judæa nascitur, glandis effigie, candidus, scita admodum configuratione, lineis 40
Jæqualiter inter se distantibus, quasi industria detornatis. Solutus nullam qualitatem manifestam gutturi repræsentat. Potest ciceris magnitudine tritus ad cotem, ut collyrium, cum calidæ aquæ cyathis tribus, potu difficultati urinæ auxiliari, & calculos in vesica comminuere.

Lapis

Judaicus

vires ex

Gal.

Nomina.

Lapis è Judæa allatus, unde & illi nomen, passim in officinâ habetur. Utuntur eo medici non modò ad vesica calculos, sed etiam ad eos, qui in renibus sunt. Galenum secuti, qui lib. 9. de simpl. medicamentorum facultatibus, ejus faciem ac vires descripsit, his verbis. Est & alius lapis viribus valentioribus in Palæstina Syria proveniens, colore candido, specie concinna, lineas habens ceu torno ductas. Appellatur autem eum à loco, in quo nasci consuevit, Judaicum, utunturq. ad vesica lapides in cote solventes, & ex aqua calida tribus cyathis potui præbentes. Sanè in quibus nos experti sumus, profecit nihil, quod ad lapides vesica pertinet: verum ad eos, qui in renibus hærent, efficax est. λίθς ἰουδαϊκός Græcis, Latinis 50
verò, Lapis nuncupatur: Arabibus, Hager alyeudi, seu Agiar alihend: Italicè, Pietra Giudaica: Germanis, Judenstein.

λίθς ἀμιαντός.

LAPIS AMIANTUS.

CAP. CXIII.

Amiantus lapis in Cypro nascitur, scisso alumini similis: quo, utpote flexili, telas, & vela tantum spectaculi gratia texunt, quæ ignibus injecta ardent quidem, sed flammis invicta splendidiora exeunt.

Amiantus

lapis

confid.

Vestis ex

Amianto.

Plinii er-

ror.

Lapis Amiantus ita appellari capie, quod in ignem coniectus non modò non comburatur, nihilq. splendoris amittat, sed si sordidus fuerit, nihil deperdens, nitidus, & splendescens extrahatur. Idem vocatur Asbestos, quod in lucernis pro elychnio impositus, non solum non extinguitur dum aliquid olei supererit, sed nunquam comburatur. Idem lavatur, autur, netur, textitur. Quare (ut Hierocles literis commendavit) Brachmanes Indorum Philosophi, ex eo sibi vestes parant ut divinitatis specimen posteritati de se relinquerent. Ex eodem quondam etiam funebres Regum tunica fiebant, quibus induti in rogi imponerentur, ut corporum cinis, à lignorum cinere secretus seclususq. sepulchro condi posset. Hinc Plinius, vel auctor quisquis ille fuerit, à quo transcripsit, manifestò deceptus est, quod putavit ex lino quodam Indico hæc parari telas. Nam is libro decimonono. capite primo, de eo ita scriptum reliquit. Inventum est etiam linnum, quod ignibus non absumeretur. Virum id vocant, ardentemq. in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis, splendescens igni magis, quam possent aquis. Regum inde funebres tunica corporis favillam ab reliquo separant. Nascitur in desertis, adusq. Sole India, ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes, assuescitq. vivere ardendo. Ratum